

1711 187296 60 pignori data

Sammelblatt!

D 172

L

52.

EPISTOLA

QVA
VIRO

PRÆNOBILISSIMO ET CONSULTISSIMO DOMINO
DOMINO

JOH. RODDE.

LVBEC.

FAVTORI ATQVE AMICO SVO OPTIMO,
CVM

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE JVRE CAPESSENDI HONORES
PVBLICE DISPVTASSET,

HONORES HOSCE GRATVLATVR , ET FAVSTA
QVÆVIS ADPREFATVR,

SIMVLQVE NON NIHIL DISSERIT,

DE

CLARIS JURE-CONSULTIS, QVI

IN IPSO JUVENTVTIS FLORE PRÆCLARAM

SVI NOMINIS FAMAM CONSECVTI SVNT

JOH. HENRICVS STOLTENBERG. LVBECENSIS.

SS. THEOL. STVDIOSVS.

JENÆ,

LITERIS MULLERIANIS.



PISTOLIA

BO

DOMINO

THE RODA

LAW

PISTOLIA NOVA SICCA ZO QUITTA

QRT

PRO TCHINTIA

SUMMOS IN VITRAGI LAKE-CARASSI DI HONORES

DAVIEC D'UZIAZ

MONS. HONORATUS DE L'ESTATE

DAVIEC D'UZIAZ



CATHARINA COELI


IN LUBO LIAMENTAD HORATRÆCI ARAM

1780 MONS. LAVILLE D'OBZECI LI SANT

NOVEMBER 1780 PISTOLIA STOPLI BEGCI LI

1780 NOVEMBER 1780 PISTOLIA STOPLI BEGCI LI

LIBRIS MULTRIMIS



VIR
PRAENOBILISSIME ATQVE CONSVL.
TISSIME!



I nullus unquam dies exoptatus mihi
advenit, certè hodiernus albo mihi
notandus lapillo videtur, quippe
quo occasionem nancisor, ea, quæ
multis jam abhinc annis in votis
habui, præstanti, ut animum scili-
cet meum TIBI totique splendidissi-
mæ RODDIANÆ FAMILIÆ de-
vinctissimum scripto aliquo publico testatum facerem.
Multæ profectò causæ sunt, quæ ad hoc negotium sub-
eundum me impellere queunt, ut difficile sit eas ordine
recensere. Ut enim taceam, in tenerâ jam ætate suavisimo
TVO consortio frui mihi fuisse concessum, meque adul-
tum postea iisdem TECVM literis, quæ certè non parum
amoenitatis habent, imbutum fuisse, illa tamen
prætermittere nequeo benevoli TVI in me affectus
specimina, quibus quavis occasione datâ in hac Musarum
sede me ornasti. Quæ omnia, si animo meo pensito, jura

A 2 amici-

amicitiæ lædere mihi viderer, nisi gratus eorum publicus
 æstimator existerem. Evidem non ignoro, ingenium vi-
 resque mihi deficere, si vel minimum laudum TVARVM,
 ea, quæ par est, dignitate, nedum omnia encomia. TIBI
 debita describere, in animum inducere vellem, unde non
 immerrit, ne conamen hocce meum in finifram rapi
 posset partem, veritus sum; vicit tamen obſervantia mea
 omnem pudorem, quā, quæ minus dignè & concinnè po-
 ſita ſunt, ſuppletum iri, confido. Perpendenti autem mi-
 hi, quamnam materiam pertractandam fumerem; (quippe
 multa dicendo nihil dicere nefas eſſe duxi,) vastiſi-
 mus mihi campus ſeſe aperuit, unde fluctuavit animus
 nescius quid ex tanta rerum copia eligeret. Vener-
 tandem in mentem Clari quidam Jure-Consulti, qui in
 ipſo juventutis flore preclararam ſuī nominis famam confe-
 cuti ſunt. Nam omnes enarrare velle, neque temporis
 ratio, quā ad alia ſtudia tractanda teneor, neque epiftol-
 ae hujus ſcopus patitur. Liceat igitur, quamvis ex anti-
 quis sit, primo loco collocare FLAVIVM JOSEPHVM,
 cuius in historiam ſacram merita omnes celebrant, cujus-
 que labori eorum temporum cognitionem debemus, quo-
 rum alijs plane nulla, certe obſcuriſſima, habemus ve-
 ſtigia. Is de ſe ipſo (a) refert, quod ea jam ætate, qua-
 nondum ex ephesis excessiſſe judicabatur, quatuordecim
 ſilicet annorum adolescentulus à Pontificibus & urbis Hie-
 roſolymitanæ primoribus consuli fuerit ſolitus, ut ab ipſo
 penitiorem legum ſenſum poſſent ediscere. Testimonia
 quidem, quæ quis de ſe ipſo profert, non ſemper ſolent
 ratihaberi, quippe ex nimia φιλαγή/la hæc procedere credas,
 fed cum quilibet bonus vir præsumatur, quamdiu ſinceri-
 tatis laſſæ non maniſta occurruunt indicia, hunc quoque
 Virum

(a) in princip. vit.

Virum ab omni Thrafonismo hac in parte immunem arbitror. Huic addam PLINIVM illum SECVNDVM, cuius præter cætera scripta epistolæ etiamnum eruditis in magno habentur pretio, hic de se ipso (b) testimonium edidit, *quod undevicesimo etatis anno cœperit* in foro dicere. ACCVRSIVM novimus more majorum universum jus glossis non contemnendis illustrasse; (c) quod opus ætate adhuc florenti, annum scilicet XIX. agens incepit, pro sua, qua pollebat eruditione ingentique alacritate brevi spatio absolvit, eoque labore non mediocrem famam suæ gloriam conciliavit. Liceat hoc etiam referre BRISSONIVM quem Thuanus (d) nobis commendat, quod *adolescentiam vix egressus singularia præstantissimi sui ingenii eruditionisque haud vulgaris specimina ediderit*, refert enim l. c. eum in summâ Galliæ curiâ in celeberrimorum Advocatorum numerum adscitum, iisque si non superiorum, saltem non inferiorem se gesuisse; in arte sc. orandi præclarum se exhibuit, genere dicendi copioso quidem, nequitam tamen affectato usus fuit, sed, prout ipsius verba se habent; perspicuo facilique, & in modum levissimi amnis nitidè puriterque fluentis. Quapropter etiam a quibusdam, iisque non paucis in agendis causis contribuli Tiraquelle longè superior judicatus fuit. Inauditum fere est, quod de ANDREA CANTERO, X. annorum puerō Groeningæ in Belgio nato, illi, (e) qui res gestas literis mandant, memoriae prodiderunt. Is in primo hoc etatis flore tantos in omnibus artibus, itemque & facultate Theologica & Juridica progressus fecerat, ut

- (b) libr. V. epist. IX. (c) conf. Joh. Bartholdus Tunetanus Part. I. cap. IX. hist. Jur Rom. (d) conf. Thuan. hist. libr. roz. & ex eo Leickherus in *vitis Clarissimorum J^ctorum*. (e) conf. Wendelinus in *präfat. Logica*, aliq.;

¶ (6) ¶

sacram utriusque Testamenti Scripturam *augustinum* explicare, & non minus civile, quam canonicum jus magna cum auditorum admiratione & stupore interpretari, & publicè profiteri, nec non ad subtilissimas quasvis questiones sine ulla præviâ meditatione respondere, nodosque solitu difficultimos syllogisticè propositos felicissimè, summièque animi alacritate expedire potuerit. Cujus fama cum ad Imperatoris Friderici III. aures pervenisset, illum movit, ut non solum legatos ad eum mitteret, sed ipse manu sua literis ad eum datis eum honestissime ad se evocaret, Doctoris axioma & primum in aulâ Imperatoria locum promittens. *Quis ignorat, quantis ingenii dotibus magnus ille Vir meritisque infinitis clarus, HVGO GROTIUS praeditus fuerit, quem annum etatis nonum vix agentem elegantissimos jam tum versus composuisse ferunt.* (f) *Annum etatis decimum quintum nondum egressus, magnos & præclaros tam in philosophia, quam Theologia, scientiâque Juris fecerat progressus, eodemque anno egregium Martiani Capellæ opus eruditis notis tersum & ab innumeris, quibus scatabant, mendis emaculatum in lucem emisit. Annum agens XVII. ob excellentem ingenivim cum legato ordinum Hollandiæ in Galliam missus est, quo factum, ut in notitiam Regis Galliæ Henrici IV. perveniret, qui sicuti excellentium ingeniorum magnus estimator erat, ita hunc quoque Adolescentem eruditione & prudentiâ superantem Viros magni fecit. Vnde in Galliâ paulo post Doctoris titulo fuit condecoratus. Non iniquum me facturum esse arbitror, si magno huic Viro adjungam, in rerum publicarum administratione feliciter geflâ,*

(f) conf. Petrus Bælius in *dictionnaire historique & critique* Tom. II. pag. 1402. & Saldenus de *libris lib. II. cap. III.*

gesta, etiam non parvi nominis Virum, DÄNCKELMÄNNVM, (g) qui adeò felici ingenio polluit, ut cum *annum etatis decimum* nondum excesisset, theses juridicas eruditè jam ventilariet, easque contra adversariorum insultus mira ingenii promptitudine & alacritate summâ defendebat. Nec posteriorem locum meretur FRANCISCVS HOTTONANNVS (h) JCtus per celebris ac sui seculi Phoenix, qui tantâ ingenii præstantiâ literarum studia excoluit, ut pene puer libellum *de gradibus cognationis*, adjuncto simul *diagrammate* publicaret, qui magno in pretio à doctissimis Viris habitus fuit, adeò, ut post breve temporis spatum JCtus quidam haud ignobilis eundem suis in Institutiones Commentariis mirificè commendatum inserere non dedecori sibi duxerit. Idem CLARISSIMVS VIR, *annum etatis sua vigesimum tertium* nondum egreditus, summo cum applausu aliis prælegere, seque in disponenda studiorum ratione comitem præstare potuit. His non immerito annumero præclarum illum Juris antistitem & in omni literarum genere versatissimum PETRVM HAIGIVM (i) qui *adolescens* ad literas adhibitus juri civili se mancipavit, in quo, mira ingenii felicitate adjutus, tantos fecit progressus, ut ei a Serenissimo Electore Saxonie Augusto ferè adhuc *juveni* Witteberge publicè docendi ac de jure respondendi partes fuerint demandatae. Quo in professionis munere solenne suum obtinuit, magnaque cum studiosorum approbatione muneris sui partes tuitus est, quippe nihil earum rerum, quæ ad JCtum

pers.

(g) conf. Ant. Teisserius in dedicat. Elogiis eruditorum præmissa. (h) vid. Ant. Teisserius in elogiis eruditorum Tom. II. pag. 136. seqq. Tom. III. pag. 333. & Petrus Neveletus Doschius in vita ejus, in vitis JCtorum à Leickerero editis, recusat. (i) vid. Melch. Adami vita Ger. manorum JCtorum & Politicorum in vita ejus.

perfectum , qui que aliquos docere satagit, requiruntur , ei defuit. Fuit namque sedulus & fidelis in docendo, in legibus explicandis summā præditus facundiā , in gravissimis rebus extricandis acutissimus, inque dijudicandis controversiis providus non minus atque felix, quæ omnia præclarum ejus ingenium satis arguunt. Injuriis forem, si Virum doctissimum JACOBVM CORBINVM (k) omittarem, qui in tenera adbuc atate tam insignes ingenii sui fructus dedit, ut, nondum annum duodecimum aetatis egressus, Licentiam, summos in jure honores ambiendi, adeptus fuerit. Vix annus processerat, cum Parisiis publicis interesse rebus, causarumque Patronum agere, ei permetteretur. *Sequenti anno*, qui aetatis suæ erat decimus quartus, causam oravit in senatu Parisiensi magna cum eruditionis & eloquentia gloriā. Ut itaque non inepte in eum Iusisse hoc disticho aculeato creditus fuerit Martinettus Patronus causarum Parisiensis doctissimus atque eloquentissimus.

Vidimus attonito puerum garrisire senatu,

Bis pueri, puerum, qui stupuere senes.

Huic plane æquiparandus, si non præferendus videtur GVSTAVUS AB HELMFELD Liber Baro in NYENHUSEN / qui pariter anno aetatis sue decimo stupenda & illam aetatem supergressa eruditione fuit præditus; non enim solùm tenuit linguas X. uti Suecicam, Moscoviticam, Polonicam, Latinam, Gallicam, Hispanicam, Italicam, Belgicam, Anglicam & Germanicam, quibus Vir maximi nominis, maximorumque in omne literarum genus meritorum Theologus, & de puritate in primis sacrorum nostrorum afferenda sollicitus Dominus D. GEORG. HENRICVS GOETZIVS, Superintendens apud Lubecenses longè

(k) conf. Egidii Menagii amenitates juris civilis.

longe meritissimus, Patronus meus omni honoris ac observantiae cultu etatem prosequendus addit (1) Graecam & Hebraicam; sed & philosophia praecepta accuratisime hausit, Matheseos & imprimis Geodeticæ & Architecturæ militaris scientia claruit. In Theologia tam egregie versatus erat, ut totum Syrodam Narvensem & opponendo & interrogando fatigari simul & oblectari. Ad Batavos dein profectus anno etatis decimo octavo maxima cum laude Lugduni Batavorum *de occupatione* disputavit. Tanta igitur ingenii præstantia clarus adolescentis non potuit in occulto manere, sed quemadmodum Sol radii suis etiam minutissimas rimas penetrat, & per has conclavia clausa illustrat, sic quoque fama hujus adolescentis occultari non potuit, sed mox longe lateque se diffudit, adeoque etiam in Angliam penetravit, quam simulac invisit, honore meritis suis haud indigno maestatus est, regit quippe ibi associatus societati. Annos circiter undeviginti natus, Assessoris Tribunalis Wifinariensis munia illi imposita sunt, & paulo post Polonica frequenter comitia, quibus non sine insigni meritorum suorum laude interfuit. Tardior quidem si cum his compares, sed si aliorum ingenium specetes, satis maturus fuit JVL. ARMAND. COLBERTVS (m) Baptista Gallici Mœcanatis filius, qui anno etatis *supra decimum* quinto Lutetiae *positiones quasdam de jure* propugnavit, quo labore usque adeo se commendavit, ut Patriæ Patres eum honorariis Assessoribus adscriperint, iniquum judicantes, eum, quem DEUS ipse tantis beaverat donis, aliis etate quidem plus valentibus, ingenii vero bonis longe inferioribus postponere. Nec prætermittendum esse arbitror celebrer-

B rimum,

(1) in Principe græce docto pag. 31. seq. (m) vid. Egi-
dii Menagi amoenitates juris civilis.

rimūm, quo LVBECA dum viveret, cive gloriabatur. JOHANNEM WERLHOFIVM in Academia Helmstadiensi Professorem primum Politices, dein Juris longe meritissimum, suæque Facultatis Seniorem, & intuitu meritorum à Serenissimo Duce Brunsuicensi munere Consiliarii aulici ornatum, cuius nomen etiamnum Academia Julia grata memoria celebrat. HIC præter cœtera adolescentiae suæ laudabilia specimina tractatum scripsit anno etatis sua vigesimo primo haud vulgari doctrina refertum de commerciis maritimis, ex quibus primitis facile conjici poterant uberrimi fructus, si ad maturitatem pervenirent. Quod si ipsam Academiam nostram Salanam perlustrarem, non solum ex antiquis, sed etiam recentioribus satis ampla se offerret copia, quibus recensendis integrum volumen vix sufficeret. Ex tanto igitur numero, prodeat jam decus illud & quondam ornamentum hujus universitatis Perillustris NICOLAVS CHRISTOPHORVS S. R. I. LIBER BARO DE LYNCKER (n) cuius immensa merita legum cultores nunquam satis deprecicare possint. Ut igitur, qualis Vir quilibet tandem evasurus sit, plerumque jam adolescentia prodit, sic quoque exellentissimus noster Lynckerus in primo juventutis flore jam, quantus aliquando Vir erat futurus, demonstravit. Anno quippe etatis duodecimeno nondum peracto tanta jam pollebat doctrina, ut aliis viam in studiis rite calcandam demonstrare valeret. Qua propter nondum vicessimum etatis annum supergressus in Academia Giessensi privatos inter parietes collegia Auditoribus ob generis nobilitatem illustribus aperuit, & ut ad hæc docentis munia magis magisque aptus redderetur anno etatis

(n) conf. M. Joh. Casp. Zeumeri vita Professorum Jenensium in vita ejus.

etatis vigesimo primo honores in jure summos tanquam laboris præmium capessere in animum sibi inducebat. Quos ut consequeretur publicæ eruditorum ventilationi disputationem inauguralem de *separatione bonorum subjecit*, quam ipse tanquam Praefes defendit, statimque licentiam supremos assumendi Doctoris honores consecutus est. Hujus lateri adjungam Virum dum in viuis erat, illustrem, & de jurisprudentia & republica longe meritissimum PETR. MULLERVM (o) Cancellaritum Rutheno - Plaviensem & Sacri Synedrii Præsidem, qui annos sedecim nondum egressus, Jenam nostram tanquam studiorum Academicorum matrem ad studia sua excollenda ingressus est, ubi haud diu commoratus primitias studiorum suorum dedit. Bis namque in cathedra academicâ sub umbone clarissimi M. CHRISTIANI TIEOFFII disputando prima nimurum vice *de fortitudine*, altera *de templo honoris* tam strenue se gesit, ut non sine applausu singulari audientium corona eum admirata fuerit. Jena discedens Gieslam petiit, ubi non minus ingenii sui dotes egregias exercuit, & quid valeant humeri ostendit. Imprimis in palæstra disputatoria frequentissime se stitit. Postquam & ibi magna studiorum suorum suorum incrementa nactus esset inde Erfordiam abiit, ubi sub præsidio Jcti celebris Domini D. SODENII disputationem publicam habuit, suasque partes masculine & erudite admodum tuitus commune ab omnibus eruditio singularis retulit præconia. Illa quoque Musarum sede relicta tandem Helmstadium se contulit, ibique omnium promptissimis votis, quod ambit, consecutus est, ita ut anno etatis vicecimo tertio explorata per præ-

B 2

via

(o) evolv. M. Joh. Casp. Zeumeri vita Professorum Jenensium in vita ejus.

via examina ejus scientia jurls, summaque cum laude,
 disputatione inaugurali, quam vocant, *de foro Profe-
 stantium in judiciis Ecclesiasticis* habita, Doctores insignia
 atque honores ex merito capesseret. Huic comitem se
 præbeat celeberrimus omniq[ue] scientiarum genere
 instructissimus Vir DANIEL GEORG MORHOIVS
 (p.) cujus præter coetera eruditissima scripta egregius il-
 le & nunquam satis laudandus Polyhistor, qui in maxi-
 mo Viris doctis habetur pretio. Hic ut ostenderet,
 quid orbis eruditus ab illo sperare posset, mature se ad
 scribendum applicuit, & cum annos nondum undeviginti
 egressus esset, publice ipsem etiæ autor disputationem juri-
 dicam commilitonibus præside Consulitissimo RAHNIO
 submisit ventilandam, in qua satis docte *de morbis* egit.
 Hinc post alia eruditionis specimenia edita, cum ad publi-
 cum munus obeundum satis idoneus judicaretur, anno
etatis vigesimæ absoluto illi Poefeos Professio in Acad-
 emia Rostochiensi demandata, *eodemque anno* Magisterii
 honoribus pro more Facultatis philosophicæ ornatus fuit.
 Hanc spartam adeptus publicæ utilitati deesse noluit,
 adeoque sui arbitratus est esse officii, ut pro ea, qua
 eminebat scientia, aliis quoque literarum artium culto-
 ribus subsidia studiorum suppeditaret; hinc publicis in-
 lectionibus auditoribus suis facillimam ad eloquentiæ,
 Poefeos, imo & juris cognitionem pervenendi viam
 præclare ostendit. Hunc honorem adeptus eruditionis
 sue uberiiores fructus percipere non iniquum judicavit,
 hinc anno mox sequenti, cum annum *etatis vicefimum*
secundum nondum implevisset, egregiam conscriptis differ-
 entiationem *de jure silentiū*, eamque prō summis in utro-
 que jure impetrantis honoribus sine præside fortiter de-
 fendit.
 (p.) conf. Adolph. Clarmund in vitis clarissimorum in
 re literaria Virorum P. V.

fendit. Tandem me vocat Vir, cuius jaēturam LVBECA
 nostra adhuc deplorat, virtute immortalis, Jure-consultus
 pius, justus, comes, candidus, Poeta sine fumo sine fuco
 admirabilis, (ut verbis Viri Experientissimi MEN. NIC.
 HANNEKENII Medicinæ Doctoris & Practici apud
 Lubecenses longe celeberrimi Patroni mei spectatissimi
 verbis (q) utar.) Dominus ANDR. LANGIVS, cuius ala-
 critas laboriosa, ita placuit inclytæ Republicæ Lubecen-
 sis Senatui, ut liberum ipsi aditum & confessum in Curia
 concederet, ac referenda propонere & camerales ipsum
 dicere causas juberet, de quo supra laudatus Dn. D.
 GOETZIVS (r) itemque Phrontisterij Lubecensis Prae-
 lentissimus Rector ENOCHVS SVANTENIVS Prae-
 ceptor olim meus fidelissimus (s) referunt, eum anno
etatis decimo octavo in examine hyemali publice carmen
 quoddam de Laudibus Lubecæ recitasse, anno sequenti de
 Laudibus Academiarum summo cum applausu publice
 perorasse simulque studiis Gymnaſticis valedixisse. Anno
 autem *etatis vigesimo tertio* sub praesidio Consultissimi
 Dn. GOETZII JCti & Antecessoris in Academia Lipsiensi
 (ut eruditioñ suam omnibus ostenderet) *de aquitate*
Juris Lubecensis dissertationem doctissime elaboratam eru-
 ditorum Commilitonum examini subjecisse, hōcque actu
 disputatoriō solenni illum admirandam capacitatem sui
 ingenii, eloquentiam haud vulgarem in latina lingua, qua
 præ multis præditus erat, & solidissimam scientiam in jure
 satis superque commonistrasse, ita ut præsentia præsidis sui
 tantum ei in testimonium eruditioñis inserviret. Postea *an-*
no etatis vigesimo quarto in Ultrajectina Academia habita de

(q) in cenotaphio virtuti fama æternæque memoria Vi-
 ri hujus inastabilis posito (r) in dem Verlangen
 derer Gläubigen nach einem frommen Leben und heiligen
 Absterben. (s) in memoria Viri hujus.

Erroribus, qui circa questiones per tormenta committuntur, disputatione, eximia cum laude Utriusque Juris Doctorem solenni promulgatione creatum esse. Non te fugere poterit VIR CONSULTISSIME, quorū hēc longa series eruditōrum vel in adolescentia vel juventute sua praeclare de orbe literato meritorum tendat. Etenim si studia TVA & indefessos labores, quos à tenera jam etate impendisti literis, & felicem illum successum, qui ubique studia TVA comitatus est, perpendo. TIBI inter Viros hosce præstantissimos non infimum debere locum lubens agnosco. Nondum enim animo meo excidit, quomodo, dum subsellia adhuc scholastica calcabamus, magna cum facundia, nec non Doctissimorum Virorum & Com militonum TYORVM admiratione minor septendecim annis natu de PASSIONE ET MORTE IESV CHRISTI versibus Latinis publice declamaveris. Cumque firmiter apud animum TVVM constituissest Themidi TE devovere, consultum esse ducebas, ejus præcepta mature imbibere, quo postea feliciori successu ea, quæ ad JCTum egregium requiruntur, percipere posses. Quo in negotio autem laudati, & non ita pridem, quamvis in flore artis beate defuncti JCTI LANGII opera adjutus, egregia legum posuisti fundamenta, & secundum præcepta STRUVII in jurisperitorum romano-germanica juris civilis scientia præclararam navavit operam; iuri quoque publici clementia ad Monzambanum haud infeliciter edocitus fuisti. Cum autem non ignarus essem optime eos agere, qui cum disciplinis gravioribus rem literariam & philosophiam conjungunt, hanc quoque methodum à TE eligendam esse censuisti. Quapropter non tantum ex ore Viri jam laudati Ethica & Politica ut & scientia literarie doctrinam hausisti, quo librorum cognitione imbutus, optimus, qui in quavis scientiæ parte scriperunt, autores adhibere posses; Sed etiam in Logici informacione Viri admodum Reverendi & Doctissimi VESTERHEIDI, Pastoris Mecklenburgici longe meritisimi usus es. Anno subsequenti scilicet decimo octavo, cum & in humanioribus, quas vocant disciplinis egregios fecisses profectus, & legum peritia non exigua jam polleres, ultimum LYCEO NOSTRO LVECENSIS dixisti Vale, & denuō ex more recepto multa cum eloquentia publice de methodo studendi & imprimis iura excolendi perorasti, quæ omnia satis aperte ingenii TVI alacritatem commonstrarunt, spemque fecerunt PATRIAE DULCISSIMAE, TE aliquando sibi fulcro &

emo-

(15)

emolumento futurum esse. Quam spem expectationemque ut su-
stineres, summo cum ardore studis in omnibus, quas invisiſti Academiis,
Helmstadiensi, Tubingensi, noſtraque Salana incubuſisti, nilque quod ad
JCTum consummatum aliquando reddendum inserviret, intactum reliquisti.
Non autem, uti fieri ſolet, illotis ad ipſa Juris penetralia accesſiſti manibus,
ſed præter illa apud LANGIVM jam in Patria habita collegia Helmſtadii pre-
eunte celeberrimo IOHANNE VVERLHOFIO hofite TWO, quo familiariter,
ferme dixerim, utebaris, *inſtitutiones iuſtinianæ*, nec non incomparabile
illud opus H. GROTI de *Jure Belli & Pacis* privatissime tibi explicanda cu-
raſti. Excellentissimum quoque Virum D. GEORGIVM ENGELBRECHTVM
Schützii compendium Lauerbachianum explicantem ſumma cum attentione
audivisti. His laboribus exantlati tempus ob inopinatam VVERLHOFI
mortem Helmſtadii ultra conterere recufans Tubingam iter luſcepſti, ubi
pari dexteritate collegiis inter fuſti. Uſus igitur opera Viri inter ſummos
noſtri ævi JCTos referendi F. C. HARPRECHTI lectionibus examinatoriis *ad*
collegium magnum Lauerbachianum theoretico-practicum quotidie per tres
horas auſcultantem TE prebuſti. Ab Excellentissimo autem D. MICH. GRAS-
ſO privatissime STRUVII *jurisprudentiam Romano-Germanicam* addito ex-
amine Tibi exponendam curaſti, ejuſque collegium privatum examinatorium
ad FROMMANNI *diputationem de actionibus frequentiaſi*, eodem quoque
Præſide in collegio *diputatorio tam opponendo, quam respondendo* ſedulo TE
exercuſti, non mediocres ingenii TVI vires hac in re commonitans; *capi-*
sulationem infuper caſaream à celeberrimo Juris Publici Doctore SVDERO
una cum aliis Tibi explicari, & qua ad uberiorem ejus cognitionem per-
tinent, proponi voluſti; Cancellarii quoque JAEGERT lectionibus, quibus
historiam ſeculi XVI. & XVII. illuſtrabat, privatim ſiſti, ſedulo adhaſiſti. Illa
quoque Muſarum ſede reliſta, Academia noſtra Salana extenſo quaſi brachio
TE amplexa eſt, latata, quod, utinon fruſtra ominabatur, hos induſtriae
TVAE debitos honores, Tibi collatura eſſet. Quo vero & heic eruditioſi
TVAE aliquod incrementum adderes, hubuit Viri Summe Reverendi & Ma-
gnifici, de toro orbe eruditio & imprimis hac academia longe meritissimi
Domini D. IO. FR. BVDEI Patroni atque Praeceptoris mei ad cineres us-
que colendi collegio privatissimo in doctissimum H. GROTI opus de J. B.
& P. interefſe. Nec iniqum eſſe duxiſti, explicationem ad *Schützii com-*
pendium Lauerbachianum, opera excellentissimi Jutium Professoris Domini
D. IO. CHR. SCHROETERI denuo repeterere. Præterea Historiographi ſine pa-
ri & non minus egregii JCTi BVRC. GOTTA. STRUVI, Patroni mei devene-
randi

randi collegium de statibus Europe non sine insigni utilitate frequentasti. In
 jure quoque Canonico, quin & feudalii explicando Juris Doctorem hujus Aca-
 demiae celebratissimum BECKIUM non sine fructu uberrimo audivisti. Juris
 denique Publici uberiorem explanationem Vir Clarissimus RICHARDVS
 Bibliothecæ Salanae Praefectus suppeditavit. Egregia fateor hæc omnia
 profectuum TVORVM sunt indicia, illustrius tamen vir edere poteras hæce
 TVA eruditissime conscripta disputatione Inaugurali de Legatis ad pias causas,
 cuius si encomia persequenda suscipere vellem, rem viribus meis superio-
 rem me aggressurum esse ingenue confiteor. Neigitur calamo meo nimis
 imperito, debita sua laude eam privem, satius esset duco, eundem inhibe-
 bere, & operis TVI laudes illis relinquere, quibus celerior in scribendis
 est facultas. Permittes tamen vir CONSULTISSIME, ut honorem illum per
 indefessum bonarum literarum studium acquisitum, quo rigoroso TVOS
 in jure profectus explorandi causa examine premillio I. V. LICENTIATVS
 initio anni etatis vigesimi secundi dignissime denominatus es, ex animo
 TIBI gratuler, quantaque inde lætitia perfundar, commonstrem. Sed &
 hic manus inhibitetur, hæret penna, ut qua ratione gaudium meum inde-
 exortum, animumque TIBI devotissimum satis exprimam, prorsus sim
 ignarus. Quapropter & hic tenuitati mea benevolè ignoscendum cen-
 ses, & quod per vires meas imbecilles non licet, magnanimitate TVA
 compenses. Ego interea non cessabo cœlum assiduis votis & precibus
 fatigare, ut quemadmodum huc usque TE cum TVA SPLENDIDISSIMA FA-
 MILIA benigne protegendum suscepit, in posterum quoque omnia &
 anima & corporis bona largissimo in TE effundat fœnore, quo PEREXI-
 MIA ET FVLGIDISSIMA DOMVS RODDIANA tot abhinc annis REIPUBLICA-
 CAE LVBECCENS in magno habita honore, florem suum per TE con-
 servet, TVQUE in eadem celsissimam dignitatem sedem nactus ad seros us-
 que Nestoris annos pertingas. Cæterum cum jam abitum hinc VVETZ-
 LARIAM, ut præxeos, uti vocant, camerale peritior evadas, celeras,
 prosperum & felix TIBI iter divinum concedat Numen, etiam atque etiam
 precor, benevolumque TVVM favorem, quo me huc usque complecti di-
 gnatus es, ut imposterum mihi conserves, rogo. Cujus voti, sicut me
 participem futurum esse nullus dubito, ita & omnem me operam
 impensurum esse promitto, quo conset, benevolentia illius me non
 ingratum estimatorem esse. Agendum felix faustusque discendas, & me
 propensa voluntate TVA ulterius prosequaris. VALE. Dabam Jenæ
 die xii. Aprilis CCCLXXXIV.

OO A 6357




f

56.

vD 18

7000



59.

EPISTOLA
QVA
VIRO
PRÆNOBILISSIMO ET CONSVLTISSMO DOMINO
DOMINO
JOH. RODDE.

LVBEC.
FAVTORI ATQVE AMICO SVO OPTIMO,
CVM
PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE JVRE CAPESSENDI HONORES
PVBLICE DISPVTASSET,
HONORES HOSCE GRATVLATVR, ET FAVSTA
QVÆVIS ADPRECATVR,
SIMVLQVE NON NIHIL DISSERIT,

DE
CLARIS JURE-CONSVLTIS, QVI
IN IPSO JUVENTVTIS FLORE PRÆCLARAM
SVI NOMINIS FAMAM CONSECVTI SVNT
JOH. HENRICVS STOLTENBERG. LVBECENSIS.
SS. THEOL. STVDIOSVS.

J E N Æ,
LITERIS MVLLERIANIS.